DE
PUTRESCENTIA UTERI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XVIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

GODOFREDUS RUEGENBERG

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

JOS. NAP. LIESE, MED. ET CHIR. DR. PR.
LEOP. STICKER, MED. ET CHIR. DD.
FR. HELLERSBERG, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROOEMIUM.

Inter morbos dirissimos, qui mulierem aut in puerperio, aut ipsa jam in graviditate invadere solent, putrescentia uteri referenda est. Atque hoc morbo, quem novissimis temporibus cl. Boër in notitiam medicorum pertulit, quum vitae mulieris propter se vel maximum paratur periculum, tum id quoque hanc ob causam valde augetur, quoniam et naturam ejus et diagnosin parum cognoscimus, atque tum demum eum adesse suspicamur, quum letalis exitus jam vix amplius prohibendus est. Ad perfectam vero uniuscujusque morbi cognitionem, quum multis tantum atque accuratis observationibus, iis-

que inter se comparatis pervenire possimus, aliquam hujus morbi historiam, quae in nosocomio Bonnensi, dum sub auspiciis cel. Nasse clinicum medicum frequentabam, a Dd. Sticker, amico dilectissimo, observata atque accuratissime descripta est, observationibus huc pertinentibus adjungere in animo est. Quae historia, quum, quod decursum, symptomata et causas attinet, nihil fere novi Boëri aliorumque observationibus addiderit, sed iis potissimum, quae ex cadaveris sectione proficiscuntur, phaenomenis quam maximi pro natura morbi momenti sit: decursu, symptomatis causisque morbi breviter adumbratis, quae qualisque mihi quidem videatur ejus esse natura atque origo, proferam, atque istam denique historiam, et quod quidem praecipue in sectionem spectat atque epicrisin, commemorabo. —

DECURSUS ET SYMPTOMATA MORBI.

Jam ab initio — proh dolor! — secundum magnum Boërum profitendum est, hujus morbi symptomata atque decursum in hoc uno constare, quod nunquam constant; in his tamen potissimum continentur: aegrota plerumque sub finem graviditatis de universa virium debilitate conqueritur; macies, collapsus faciei pallidae, ex griseo flavescentis, splendor oculorum paulatim abiens; exploratione externa uteri substantia justo mollior, neque tamen dolens reperitur; aegrota uterum gravidiorem percipit, atque sensationem sibi esse profitetur, tanquam foetus emortuus sit; appetitus ciborum deficiens, somnus inquietus, tristitia et amor solitudinis, mortis appropinquantis certissima fides. Dolores doloribus quidem ad partum similes oriuntur, praeter naturam autem debiles, ac bona tantummodo pelvis conformatione, foetuque non grandi, solis naturae viribus editur partus. Praeter normam, et fortasse tantum non plane evoluto morbo, dolores ad partum normales existunt. Partu peracto mor-

bus, si jam adfuit, rapidius decurrit, aut nunc demum enascitur, et mox summum adipiscitur gradum. Morbo jam pridem exculto, indeque morte foetus facta, in partu corruptus humor, nigrescens, cum foetore profluit, metalla aggrediens, unguesque manus explorantis colore fusco induens. Persaepe foetus exiguus, tenuis, parum nutritus, coloris aut pallidi aut lividi. In placenta saepe vestigia conspiciuntur putrescentiae factae, ejusque quum color lividus, viridescens, tum consistentia spongiosa, laxa; ipsum denique funiculum umbilicalem interdum eadem corruptione affectum invenies, liquorem amnii turbidum, sed putredinis expertem. Certa vero, quae morbum adesse testantur symptomata, ex laesis puerperii muneribus maxime cernuntur. Cutis aut sicca, aut ingenti obtecta sudore; turgor faciei vitalis, qui magnus solet esse in puerperis sanis post viginti quatuor horas, deest; secretio lactis, si fit, lente sequitur, lac vero tenue semper et serosum est, ejusque secretio aut subito, aut paulatim evanescit. Maxime autem contra naturam lochia se habere solent. Prout putrescentia magis minusve progressa in partu est, aut primis diebus, aut serius humor griseus, vel nigrescens foras ejicitur, valde ingratum putredinis foetorem postea spargens. Uterus non, uti solet in statu normali, contrahitur, vel multo etiam post supra arcum pubis mollis, laxus, raro durus, tensus animadvertitur, nunquam autem, ulla complicatione deficiente dolet, neque aut pressu fortiori, aut exploratione interna do-

lores incitantur; in vagina nonnunquam temperatura diminuta, rarius portionis vaginalis destructio. Symptomata febrilia: horripilatio, quam sequitur calor, magnae virium prostrationis sensus, cutis aut sicca, calida, aut sudore tecta universali, non leniente, sed potius magis etiam debilitante, pulsus frequentissimus, debilis, parvus. Oculi splendore carentes, turbidi; in suam cavitatem abditi, lividis circumdati marginibus, tota facies dolorem referens, flagitans misericordiam; sitis insatiabilis, dum lingua initio humida est; anorexia, vomitus materiae viridis; raro, et initio tantum adstricta alvus, postea vero diarrhoeae cum foetore colliquativae, urina varia, interdum retentio aut incontinentia urinae et alvi; somnus deficiens, aut inquietus. In morbo simplici mors paulatim subsequitur, tranquilla, et plerumque ante diem undecimum, sensorio integro; in composito autem subita fit ac tumultuosa.. —

NATURA MORBI ET CAUSAE.

De natura hujus morbi medici valde inter se discrepant. Alii putrescentiam ex inflammatione oriri contendunt, alii negant. Quodsi vero causas et praedisponentes et occasionales, peculiarem uteri in graviditate et puerperio conditionem, morbi denique symptomata cadaverumque sectiones diligentius mecum perpendo, non possum, quin morbum ex inflammatione non oriri statuam. Causae praedisponentes autem hae sunt: corpus male nutritum, cachecticum, humo-

ribus serosis repletum; victus tenuis, insaluber, aër humidus, depravatus, domicilium humidum, continua animi tristitia, moeror, quare etiam extra matrimonium gravidae prae aliis morbo obnoxiae sunt; multi porro partus, iique difficiles, metrorrhagiae, coitus nimius. — In causis occasionalibus sola graviditas et partus jure habentur. —

Causas praedisponentes accuratius si consideraveris, omnes ejusmodi esse meenm putabis, ut quum toti systemati reproductionis, vique vitali, tum utero multum detrimenti afferant necesse sit. Maxime autem affectus animi deprimentes, iique continui accusantur, quorum peculiaris in gravidum uterum vis habetur, quippe quae vim vitalem uteri ipsius imprimis extinguat. Quibus noxiis omnibus vita uteri jam durante graviditate debilitata, magis magisque partu edito tabescit, quum reliquarum organismi actionum habita ratione, adaucta ista in utero gravido vis vitalis paulo post partum in statum priorem redigatur, magnaque, qua gravidus viguit, sanguinis copia nunc careat; quibus rebus efficitur, ut ejus jam pridem facta conditio atonica usque ad perfectam ipsius substantiae organicae dissolutionem, i. e. ad putrescentiam usque augeatur. Id quoque, functionesque puerperii inde turbatae, in graviditate si morbus jam exstitit, ad celeriorem ejus post partum decursum vel maxime conferunt. Quemadmodum autem ex modo memoratis nihil omnino proficiscitur, quod pro ori-

gine hujus morbi ex inflammatione certet: ea ipsa etiam symptomata plane desunt, quae metritidem significare solent, e. g. vagina calida et sicca, dolor; portio vaginalis, adhibita praesertim pressione, dolorifica. Potest sane adesse dolor, tamen non est uteri in putredinem abeuntis, sed partium adjacentium inflammatione affectarum, cujus complicationis multa exstant exempla (cf. Boër, Jörg, Siebold atque alios scriptores infra cit.) nunquam vero id fit in morbo simplici, e. g. in casu postea describendo. Uterum denique destructum post mortem si investigaveris, nulla prorsus inflammationis vestigia occurrunt, sicuti in utero gangraenoso. Equidem illud etiam animadverto, alias quoque in organismo accidere desorganisationes, quae inflammationi non debentur, e. g. scirrhus, tubercula.

Quod attinet ad tempus, quo morbus oriri potest, constare videtur, morbum etiam in graviditate, et quidem sub finem hujus incipere posse, neque semper dispositionem tantum usque ad partum manere. Non raro enim ichoris illius effluxus, et morbi ipsius summus gradus statim post partum observati sunt; atque huc referendum est, Boërum mulieres in graviditate et statim post partum convulsionibus mortuas vidisse, quarum uterus putrefactus inveniebatur, sicuti etiam uterus earum, quae abortum passae erant. Sed fortasse quispiam interrogabit, cur in his casibus symptomata perspicua defuerint? At vero in nonnullis

abortus ipse morbi symptoma fuit, in aliis haud ita evidenter apparuerunt propter naturam graviditatis.

PROGNOSIS.

Morbi tam funesti prognosis non nisi mala dicenda est. Quum putrescentia uteri secundum omnes observationes tam varia, tamque occulta ingrediatur, quum etiam tuta diagnosi omnino careamus ac plerumque eo demum tempore morbum cognoscamus, quo jam maximum gradum adeptus est: quid salutis sperare licet? Symptomata, quae exitum infaustum indicant, maxime haec sunt: placenta valde depravata, lochia ichorosa, foetida, vomitus materiae viridis, pulsus frequentissimus, respiratio difficilis, anxia, sudores profusi, diarrhoea cum sedibus fuscis, mucosis, foetentibus etc.

CURA.

In nullo alio morbo curam prophylacticam majoris esse momenti, quam in putrescentia uteri, quis non videt? Quodsi igitur supra descripta symptomata in graviditate se ostendunt, putrescentiam oriri posse cogitandum est, ideoque potissimum diaeta et regimen dirigantur. Aegrota evitet praecipue omnia, quae animum solent affligere, fruatur aëre puro, sicco, modice calido; vescatur cibis facilibus digestu et nutrientibus; abdomen et crura vestibus probe tegantur, domicilium non sit humidum, refrigeria evitentur etc. Contra morbum ipsum medicamenta interna et ex-

terna adhibentur, quae in hoc potissimum congruunt, quod vim vitalem, cum totius corporis, tum uteri ipsius et incitant et roborant. Ex medicamentis pro usu interno nominanda sunt nervina, aromatica, amara, spirituosa, acida et adstringentia, e. g. moschus, castoreum, oleum animale aethereum, liquor ammonii pyro-oleosi, tinct. nervina Best., camphora, cortex cinnamomi, cort. chinae, cascarillae, angusturae, rad. calami aromatici, oleum sabinae, rad. valerianae, acidum muriat., sulphuric., phosphoric. etc. Regimen et diaeta eadem sint, quae in cura prophylactica. Pro usu externo laudantur injectiones in cavum uteri ex infuso rad. calami arom., flor. chamom., herbae scordii; ex dec. cort. peruviani, cort. quercus, rad. caryophyllatae, ex aqua calcis, oxymuriatica. Porro applicantur ad tegumenta abdominis fomentationes tepidae, aromaticae vel spirituosae, etiam frictiones ex linim. ammon. camph., ex balsamo peruv. in spiritu vini soluto. Secretio lactis mammis brachiisque calefaciendis, imprimis ope fomentationum tepidarum adjuvanda.

HISTORIA AEGROTANTIS CUIUSDAM, PUTRESCENTIA UTERI EXTINCTAE.

Sophia Steinmel, Bonnensis, triginta septem annos nata, cujus mater etiamnunc sana vivit, patrem jam dudum, nesciens quo morbo amisit. Ex morbis aetatis puerilis variolas perpessa erat. Anno aetatis decimo septimo primum menses intrabant, qui regu-

lares deinde semper insequebantur. Anno vicesimo tertio nupsit, et insequentibus annis octo partus sine ulla difficultate edidit, liberosque sanos peperit. Ante quinque circiter annos, ad quod usque tempus bona semper valetudine gavisa erat, subito infelice rei familiaris mutatione in summam paupertatem detrusa valde perterrita et maximo moerore affecta est, eodemque tempore menses suppressi nunquam redierunt. Anno post, durante graviditate septima, in tarso pedis sinistri, ad latus internum, ex vesicula, quam multum radebat, ulcus dolorificum, sordidum exortum est, materiam ichorosam excernens, ex cujus paulatim sauciato circuitu humor aquosus exstillabat. Sub finem graviditatis octavae ulcus in dies diminutum, die post partum secundo omnino evanuit. Ex quo tempore menses non redierant, semper magnam omnium artuum lassitudinem sentiebat, quumque praeterea paupertas magis magisque cresceret, ut saepe non haberet, unde viveret, atque huc etiam domicilium parvum, humidum, continuae cum conjuge feroce rixae, moerorque inde exortus accederent, quum denique sub finem graviditatis octavae quatuor, brevi tempore se subsequentes metrorrhagiae eam invaderent: ante partum ultimum valetudo ejus ita perturbata erat, ut nesciens utrum propter vires deficientes, an propter artuum rigorem vix aliquot passus ingredi posset. Intrante metrorrhagia lecto incumbere solebat, per plures dies parva sanguinis copia, menstruali non dissimilis ex genitalibus profluebat et paulatim

sistebat, quin neque inter, neque post metrorrhagiam, quadam lassitudine excepta, multum molestiae percepisset; monendum est, liquorem istum sero sanguinis similiorem fuisse, quam sanguini ipsi. Partus octavus die vigesimo primo Nov. anni MDCCCXXXII, hora sexta pomeridiana feliciter, ut priores praeteriit. Filiam peperit sanam, lochia secundum normam fluebant, et exceptis doloribus ad secundinas paulo vehementioribus omnia prospere successere usque ad diem tertium, quo aegrota magno horrore febrili correpta est, quem sudor largus postea secutus est. Mammae die secundo quidem post partum lactis aliquid continebant, febre autem orta lac evanuit. Usque ad diem primum mensis Decembris, quo in Clinicum medicum Bonnense recepta est, febris semper adfuerat; horror quidem iterum non apparuerat, sed vicissim calorem cutis mordacem sudor profusus secutus erat, nullus per hoc tempus dolor perceptus, vires autem in dies etiam atque etiam minutae erant. —

STATUS PRAESENS 1mo DECEMBR. DIE.

Aegrota hora tertia pomeridiana solum de magna totius corporis debilitate querebatur, atque ut in clinico quiete frueretur, optabat, qua domi non poterat. In hac quiete spem sanationis ponebat, atque animus antea tristissimus, nunc quietus et hilaris esse videbatur. Color faciei pallidus, genae, tempora, alaeque uasi collapsà, vultus ad misericordiam vocabat. Appetitus ciborum deficiens, sitis magna, lingua norma-

lis, mammae collapsae, lacte carentes, eundem caloris gradum, quem totum corpus habebant. Respiratio paululum frequens, abdomen neque tumefactum, neque ullo in loco pressione dolens; lochia regularia, colore albo, consistentia subcrassa; pulsus centum viginti per minutam ictuum, parvus, debilis; totum corpus sudore profuso obtectum. Hora septima vespertina dolor per totum epigastrium exortus est, pressu non augendus, cum respiratione difficili et interdum tussi sicca, anhelanti conjunctus; abdomen aliquid tumefactum, nec vero dolorificum; pulsus frequentior, centum triginta circiter ictuum, semper vero parvus, facile comprimendus; sudor totius corporis. Sinapismi ad suras applicati sunt, et una hora et dimidia post omnia haec symptomata evanuerunt, sed media nocte vi majori reversa ita crescebant, ut mors non longe abesse videretur. Praescripta sunt aqua lauro-cerasi cum extr. hyoscyami, deinde infusum herbae digit. purp., et pulveres ex hydr. mur. miti cum opio. Symptomata tumultuosa paulatim decrescebant, ita ut aegrota per reliquam noctem dormiret.

Die II. Decembr. Pulsus centum viginti ictuum, paulo plenior, abdominis extensio post flatus emissos minor reddita et mollior; cutis sicca, calidissima, alvus semel deposita; urina turbida, subrubra. Pulveres ex calomelano et opio continuati, appetitus ciborum parvus, sitis magna. Aegrota aliquid panis albi et jusculi vitulini edidit; pro potu aquam, partim cum saccharo albo, partim cum lacte. Tempore po-

meridiano calorem mordacem sudor communis secutus est, quem etiam vespere adhuc permanentem inveni. Hoc quoque die exploratio genitalium interna instituta, quae vero nihil abnorme exhibuit, nisi vaginam paulum calidam. —

Die III. Decembr. Status fere idem. Somnus per noctem quietus, genae atque alae nasi magis collapsae, pulsus idem, cutis quasi mordax, alvus obstructa; pulveres ita mutati, ut opio omisso calomelanos copia minueretur; infusum digitalis continuatum, praeterea oleum ricini praescriptum, quo, licet parvum tantum cochlear sumtum erat, quinque per diem sedes molles, coloris fusci, odoris foetidissimi depositae sunt, qua de causa oleum ricini statim, et vespere hujus diei etiam calomel omissum, quia secretio salivae augebatur, et dentes mobiles fiebant. Diaeta eadem, quae antea.

Die IV. Decembr. Aegrota per noctem dormivit, alvus bis soluta; urina cum sedibus missa; abdomen molle, non tumefactum. Diaeta eadem, infusum digit. porrectum; calor mordax temporis matutini, qui sub meridiem sudori profuso cessit; qui quidem sudor prioribus diebus in noctem continuari solebat ad vesperem redibat, quemque capitis gravitas, vertigo et interrupta deliria comitabantur. Pulsus centum triginta ictuum, plenior, sitis major, lingua normalis, abdomen tumefactum, molle, sine dolore. Octo hirudines ad caput appositae sunt. vesicatorium ad nucham applicatum, infusum digit. omissum. Per

diem aegrotam saepius soporosam inveni. Pectus per cylindrum et plessimetrum exploratum nihil abnorme ostendit.

Die V. Decembr. Somnus quietus, pulsus centum viginti ictuum non tam plenus, quam die hesterno; delirium et vertigo evanuerunt; color faciei pallidior, tremor digitorum, labiorum et linguae humidae. Alvus bis laxata, quacum multum urinae emissum est. Ceterum status idem. Praescriptum est infusum digitalis cum aqua laurocerasi; cucurbitulae siccae super papillam mamillarem positae sunt. Post meridiem aegrota fluidum mucosum, viride, amarum vomuit. Sumsit decoctum hordei, ceterum per diem nihil, nisi quid panis albi et aquam cum lacte.

Die VI. Decembr. Per noctem aegrota parum dormivit, sed multum sudavit. Mane cutis calidissima; pulsus centum triginta ictuum; ceterum uti heri. Linguae porrectae et digitorum trepidatio; abdomen molle, alvus ter soluta, urina subrubra, turbida; lochia foetentia, coloris lividi. Ante meridiem aegrota iterum fluidum viride, mucosum, amarum, evomuit. Loco infusi ex herba digit. purp. cum aqua laurocer. emulsio ex Gi. arabico cum mixt. sulphurico-acida praescripta est. Diaeta non mutata.

Die VII. Decembr. Per noctem somnus nullus, sed delirium, magna inquies, dejectio integumentorum, sitis maxima; pulsus horis matutinis centum viginti ictuum, parvus, debilis, cutis calidissima, floccularum collectio; facies pallidior, et magis collapsa;

lingua humida, pura; sensus pulsationis in capite, vertigo. Alvus bis aut ter soluta, quacum urina simul missa erat. Primum moschus praescriptus est, pro dosi grana duo; granisque duodecim sine ullo successu sumtis, ad vesperem infusum rad. serpentariae praescriptum est. — Hora decima vespertina sudor in fronte et manibus, reliqua cutis ardens, pulsus centum quadraginta ictuum; lingua tremens, humida, abdomen tumefactum, durum, nec vero dolens; rhonchus mucosus trachealis jam nudis auribus facile audiendus; delirium, magna inquies, aegrota semper conata est, e lectulo surgere. Infusum rad. serpent. et liquor ammonii carb. alterna ratione porrecta.

Die VIII. Decembr. Magna inquies per noctem, neque somnus, neque sudor; delirium frequens, alvus non soluta, urina subrubra, cum sedimento albo, floccido; pulsus debilis, centum viginti ictuum, cutis non valde urens; aliquid sudoris in fronte, sitis non tam magna, quam priori die; lingua aliquid sicci et asperi habebat. Abdomen aliquantum tumefactum, sed molle; potus magna cum difficultate sumtus, cum strepitu per oesophagum defluebat. Praescripta sunt infusum rad. valer. cum camphora, et singulis horis cochlear unum vini rhenani. Meridie status idem, pulsus autem frequentior, vox difficilis. Hora tertia pomeridiana alae nasi, genae et tempora magis quam prius collapsa, alae nasi respirando sursum et deorsum motae; oculi splendore omni orbati, humidi; sudor partialis in fronte et inter mammas; pulsus cen-

tum quadraginta duorum ictuum, parvus, debilis, flocculorum collectio, respiratio trachealis aucta; respiratio frequentior, vox difficillima; mens nonnunquam tantum clara, sopor continuus. Post quadrantem horae statum subito mutatum inveni: oculi conclusi in orbitis abditi, manus et pedes frigidi, sudor in fronte frigidus, viscidus; pulsus multo rarior, octoginta ictuum, filiformis, vix sentiendus, saepe intermittens; respiratio rarissima, interdum interrupta, interdum intermittens, et dum una vel plures respirationes omittebantur, susurrus ingratus, cavus percipiebatur. Aegrota in profundo somno jacere, neque amplius audire videbatur. Pulsus deinde magis magisque irregularis, tactum digitorum paulatim effugiens, respiratio magis magisque stertorosa, intermittens. Quinque minutis post aegrota quietam mortem, ne ullis quidem convulsionibus obiit.

Sectio cadaveris die X. Decembr.

Facta est sectio cadaveris horis quadraginta duabus post mortem. Cadaver in dorso situm erat, in temperatura duorum graduum Reaum. Maculae lividae totius corporis, percussio thoracis in latere sinistro fuscior, quam in dextro. — Cavum cranii. Dura mater normalis; arachnoideam inter et piam matrem parva copia fluidi aquosi; pia mater facile a cerebro detrahenda; in arachnoidea pauca vasa sanguinea, arborescentia; in substantia cerebri persecta nonnulla puncta rubra; in ventriculis lateralibus

drachmae duae liquoris serosi; ceteroquin nihil abnorme. Etiam in superficie inferiori cerebri et in cerebello omnia ad normam. — Cavum thoracis. Pulmo sinister ad costas adjacens, atque hunc inter et pleuram costalem liquoris rubri uncia; superficies externa pulmonis normalis; premendo et secando crepitatio; ex dissecto pulmone fluidum spumosum, rubrum effluens; totus pulmo singulaeque partes in aqua natantes. Hic pulmo praeter naturam in tres lobulos divisus; latus posterius lobuli infimi sanguine abundans. Pulmo dexter uti sinister. In pericardio drachmae duae fluidi limpidi, cor normale; circuitus aortae trium poll., trunci arteriae pulmonalis trium et dimidii poll. Membrana mucosa tracheae et bronchiorum subrubra; nervus vagus utrinsque lateris normalis. — Cavum abdominis. Hepar normale, lien satis magnus et submollis; pancreas, mesenterium et peritonaeum regularia; vesica urinaria et ren sinister normalia, ren dexter major sinistro, structura vero regulari. Intestinorum externa superficies normalis, membrana mucosa ventriculi aliquantum rubefacta, tractus intestinalis regularis. Diameter longitudinalis uteri sex poll., transversus maximus quatuor poll., portio vaginalis trium linearum ad quatuor, labium anterius magis intumefactum quam posterius, in utroque labio plures loci impressi. Superficies externa et anterioris et utrinsque parietis lateralis pallida, posterioris rubicunda. In superficie interna, praesertim infra orificium tubae Fallopianae

dextrae locus adfuit materia grisea obtectus, cum aliis aut majoribus aut minoribus locis ejusdem generis confluens, qui super fundum uteri, partem superiorem parietum lateralium, et superiorem dimidiam partem parietis posterioris extensi erant. Materia illa, facile scalpello deradenda, plus minusve profunde substantiam uteri penetrabat, profundissime autem, et quidem duas ad tres lineas in regione anguli superioris dextri, et partis superioris parietis uteri posterioris. Paulatim tenuior facta, in membranam mucosam evanescens abiit, in regione portionis vaginalis lineis subnigris, lividis, impletam. Tota superficies interna parietis posterioris, non solum in locis, ista massa obtectis, sed etiam infra eos, et tota hujus parietis persecti superficies aequali rubore induta, membrana autem mucosa, et superficies persecti parietis posterioris, persectorumque parietum lateralium pallidae, superior tantum pars hujus superficiei persectorum parietum lateralium, ubi in correspondente superficie interna loci isti degenerati inveniebantur, infra illos locos ruborem quoque, duas circiter lineas in substantiam ingredientem ostendit, insequentia autem ejus strata continuo in externam partem versus pallida fuerunt. Tota uteri substantia laxa, neque ullo in loco induratio. Ligamenta uteri, tubae, ovaria et vagina nihil a natura discrepans exhibuere.

EPICRISIS.

a) Comparatio symptomatum morbi cum sectione cadaveris.

Dum vivebat aegrota, diagnosis certa facta non est. Sola illa, quae in secando cadavere reperta sunt, perpendens fortasse existimet, tantas uteri destructiones inflammationis in gangraenam exitu ortas esse. Quod ita se habere cum jam maxime dubitabis, si reperta in cadavere cum symptomatis in viva aegrotante observatis comparaveris, tum omnino ista opinio relinquenda esse videtur, quum, ut infra videbimus, alius morbus exstet, quocum non omnia solum symptomata morbi, sed etiam sectio cadaveris maxime congruunt. Poterat sane jam durante graviditate, sub finem ejus, status uteri inflammatorius oriri, qui ullo modo chronicus factus atque in puerperium continuatus recenti occasione vehementior progrediebatur. Sed ex morbi historia satis patet, nullam affectionem inflammatoriam praegressam fuisse. Immo istae metrorrhagiae, sub finem graviditatis exortae, quibus quaedam inflammatio, ne amplius progrederetur, semper prohibita, in puerperium usque protrahi poterat, nequaquam pro criticis sunt habendae, quia non solum nulla inflammationis symptomata illis praecesserunt, sed fluidum emissum magis aqua sanguinolenta, quam sanguis fuerat. — Porro ipso in puerperio inflammatio oriri poterat; neque negandum est, subitas animi motiones, quibus aegrota ob continuas cum

conjuge rixas saepius exposita fuit, ulcus denique inveteratum, subito occlusum etc. jam suffecisse, quibus in utero, cujus in puerperio ad inflammationem praedispositio vel maxima est, inflammatio oriatur, neque tamen ulla inflammationis signa affuerant, dum aegrota in clinico versabatur, neque prius etiam, et secundum examen institutum, et secundum ea, quae sunt ab obstetrice comperta, praegressa erant. Praetereunte dolore in regione epigastrica excepto, nunquam de ullo dolore aegrota conquesta est, aut sua sponte orto, aut exploratione uteri interna, aut pressu forti adhibito. Certe vehementes isti hic desiderandi non erant dolores, qui solent oriri in corpore valido, quum tam vehementi afficitur inflammatione, quae celeriter abit in gangraenam: inflammatio enim hoc in casu organum occupaverit, quod jam totius corporis debilitatis viribus, certe ceterorum omnium longe debilitatissimum fuit; atqui ut inflammatio in gangraenam transeat, pro viribus organismi summum gradum utique assequatur necesse est; quum vero hoc in casu incitabilitas partis affectae minima fuit, vis etiam repugnandi minima tantum, atque eadem ratione dolor vix sentiendus esse potuisset. Quodsi vero dolores etiam minimi fuissent, observatorem tamen effugisse vix puto, dummodo cum aliis quoque conjuncti fuissent symptomatis, quae in inflammatione per maximam partem superficiei internae uteri extensa, et plures lineas ipsam uteri substantiam penetrante nunquam deesse solent. Imprimis huc refe-

renda est suppressio aut saltem perturbatio lochiorum: haec vero secundum normam usque ad paucos dies ante mortem fluebant, ubi odor eorum malus, et color sordidus factus est. Cutis in metritide rarissime ubique humida, plerumque sudore universali obtecta fuit; sudores autem partiales in inflammatione occurrentes, paucis demum horis ante mortem apparuere. Pulsus nunquam durus, et fusca magis quam rubra urina semper turbida fuit, et postremo sedimentum mucosum, floccidum ostendit.

Lac, cujus secretio in metritide raro suppressa est, defuit, neque dolores pungentes ex consensu in mammis exstitere. Calorem vaginae humidae, nec vero siccae, portione vaginali uterique segmento inferiore ullo dolore carente, ex sympathica tantummodo totius corporis affectione febrili explicare licet. — De sectione, quae sola adhuc inflammationem praegressam esse, testari videtur, jam paulo post sermo erit. —

Altera vero affectio, a qua neque symptomata morbi, neque sectio cadaveris abhorrent, putrescentia uteri est. Hic morbus plerumque in graviditate, rarius primis post partum diebus incipere solet, ut in aegrota nostra factum fuisse videtur, quum partus naturalis fuisset, nec phaenomena prodiisse dicantur, quae morbum jam ante partum adfuisse testentur. Quae in hoc morbo occurrere solent symptomata, plurima in aegrota nostra observata sunt, quae deerant, talia sunt, qualia adesse necesse non est; symptomata vero,

putrescentiae repugnantia nulla prorsus observata sunt. Secundum descriptam historiam etiam causae occasionales tales fuere, quales uteri putrescentiam antecedere solent. Porro nulla symptomata inflammationis se ostendebant, atque id quidem ipsum symptoma pathognomonicum hujus morbi est. Perturbata lactis secretio, initio quidem exorta, tunc vero subito evanescens, febris continuo-remittens, exacerbationibus vehementibus, sed irregularibus, quae febris ab horrore incepit postea haud amplius redeunte; totius corporis in exacerbationibus calor urens, subsequente sudore non reficiente aegrotam, sed magis etiam debilitante; vires etiam atque etiam tabescentes, pulsus frequentissimus, parvus, irritatus, facies in dies magis collabens; splendor oculorum abiens, iique in orbita abditi, lividis circumdati marginibus; appetitus deficiens, lingua humida, vix paululum obtecta, cum continua permagna siti; urina fusca, primo magis turbida, postea cum muco mixta: haec omnia, putrescentiam uteri symptomata significantia in nostro casu observata sunt. Lochia quidem jam maturius in materiem griseam ac foetidam degenerare solent, neque tamen, Boëro auctore, tantopere semper a sanis recedunt, quantopere in deterrima hac uteri conditione jure suspiceris. Solet praeterea diarrhoea, vires admodum exhauriens plerumque accidere, qua faeces ex fusco flavescentes, valde foetentes foras ejiciuntur: talis quidem observata non est, attamen magna ad eam proclivitas aegrotae inesse vi-

debatur, quum, uno parvo cochleari olei ricini sumto, jam septem alvi depositiones sequerentur, atque hae quidem supra descriptae indolis fuere.

Saepius materia quoque viridis, mucosa vomitur; vomitus ejusdem generis bis observatus est. —

Jam pergamus ad commutationes morbosas, quae in utero post mortem repertae, et supra descriptae, putrescentiam uteri significant. Rubor parietis posterioris, toto pariete anteriori, maximaque parte parietum lateralium pallidis, pro congestione tantum habendus est cadaverosa, propter situm cadaveris post mortem. In parte superiori parietum lateralium, respondente degenerationis sedi superficiei internae, proxime adjacentia strata substantiae uterinae rubicunda fuisse, dum reliqua magis externa pars horum parietum colorem iterum pallidum, supra descriptum ostendebat, mirum esse nequit, quoniam a materie tam aliena partes proxime adjacentes irritari necesse erat. Quum denique degenerati isti loci superficiei internae, etiam atque etiam tenuiores redditi, paulatim in membranam mucosam transeuntes evanuerint: pro maculis gangraenosis, ex inflammatione ortis, haberi non possunt, quippe quae margine duriore vel crassiore, atque areola significantur. — (Quod praeterea in epicrisi de ceteris in cerebro etc. repertis, memoratum legitur, quum minus in rem nostram cadat, omitto). —

b) Ratio, qua aegrota mortua est.

Sub finem vitae aegrota semper magis magisque perfectam virium consumtionis imaginem offerebat. Quemadmodum autem in omni morbo, qui morte finitur, tum demum mors invadit, quum unum ex organis ad vitam necessariis morbo praegrediendo vehementer laeditur, ita hoc in casu cerebrum postremo sympathice affectum, indeque paralysi nervi vagi paulatim crescente mors insecuta est, atque hoc quidem demonstratur signis organorum, in quibus nervus vagus distribuitur: turbata respiratione, voce et murmure faucium atque oesophagi in bibendo oriente. —

c) Quid narrata historia ad morbum cognoscendum forte proficiat.

Quod tempus initii morbi attinet, eum jam durante graviditate incepisse, omnino non videri jam prius dictum est. Partus prospere, sicuti priores successit, placenta nil morbosi habuit, foetus sanus. Nihilominus aegrotae paulo ante partum ipsa conditio talis fuit, qualem ad putrescentiam maxime praedisponere experientia docet. Causa autem occasionalis partus ipse fuit, istaeque etiam postea permanentes res nocentes; in utero denique partu magis etiam debilitato ipse is locus, ex quo placenta dissoluta erat, omnium maxime laesus fuit, quumque placenta plerumque sub ostium tubae Fallopianae dextrae inseratur, morbus hinc initium cepisse videtur, quoniam

ipse hic locus post mortem maximas exhibuit degenerationes. Tertio aut quarto post partum die putrescentia incepisse videtur, nam ab eo inde tempore symptomata coepere, quae malum fere semper comitari et significare solent. Forsan illud ulcus, brevi ante partum sanatum ad augendam putrescendi uteri dispositionem, et ad locum in eo sauciatum in deterius, tamque malignam superficiem convertendum, permultum contulit. Opinioni, tanquam malum locale ex affectione totius organismi ultimis demum vitae diebus, quo tempore lochia adhuc fluentia malum odorem et colorem sordidum retulere, profectum sit, partim prior morbi decursus repugnat, qui malum jam factum indicavit, partim uterus quoque non satis contractus, maxime autem tanta desorganisationis extensio. Quum aegrota die decimo post partum in Clinicum recepta esset, haec fortasse imprimis ad cognoscendum malum conferre poterant:

1) ex statu historico: ista in eo jam descripta atque ex vitae conditione aegrotantis praedispositio, ipsius febris indoles, paulis post partum diebus cum turbata lactis secretione exortae, ac defectus denique omnium symptomatum inflammationis. —

2) Ex statu praesenti: character febris, conquestio de magna totius corporis imbecillitate, symptomata inflammatoria deficientia, lactis secretio suppressa; lingua humida, fere non obtecta, cum siti continua, ac praesertim denique uterus, hoc tempore non satis contractus. —

3) Symptomata cum statu psaesente in morbi decursu adhuc conjuncta; consumtio virium crescens, urina fusca, initio magis turbida, sub finem morbi floccis albidis praedita; lochiorum denique commutatio deterior, et fortasse etiam vomitus materiae mucosae, viridis. —

Quod maxime historia modo narrati casus praecipere videtur, hoc potissimum continetur, ut, quum in omnibus puerperarum morbis nunquam satis illud organum animadvertendum sit, quod cum in muliere, tum in puerpera ad morbos admodum proclive est: tum eo major adhibenda sit cura, quodsi valde aegrotante puerpera, haud perspicue aliud organum morbo laborat, ex quo adversa valetudo possit intelligi. —

ANNOTATIONES DE MEDENDI RATIONE, HOC IN CASU ADHIBITA.

Uteri affectio, quum non cognosceretur, ratio medendi magis in considerandis ceteris praesentibus symptomatis acquievit, atque in praecautione talis status morbosi, qualis forte ex signis praesentibus enasci potuisset. Lac, quod paucis diebus post partum parca quantitate adfuerat, subito evanuit, proinde vera lactis metastasis insecuta esse potuit, cujus autem symptomata prorsus nulla reperiebantur. Timendum tamen nunc erat, ne propter continuam lactis suppressionem, quae quidem, quum ejus secretio in puerpera maximum cum toto organismo habeat consensum, etiam ab organismo, tanquam toto,

sentienda erat, inde ab universali affectione localis quaedam, v. c. encephalitis, pneumonia, peritonitis proficisceretur. Atque in his quidem potissimum reputandis medendi ratio etiam instituta est, ac serius demum, cum de viribus plane languescentibus dubitare haud amplius liceret, remedia irritantia in usum vocata sunt, et quidem sub finem demum, quoniam initio vires magis suppressae, quam languescentes existimabantur. Contra hanc vero sententiam utique certant praegressae, et animum et corpus debilitantes potentiae, continua defunctae ipsius de magna, atque in dies crescente imbecillitate, conquestio.

Sane pulsus interdum aliquanto plenior, immo saepius iterata alvi excretione, certe in breve tantum tempus fortitudine paululum auctus, valde iis repugnare videtur. Sed hoc quoque tantum videri, facile intelliges, quum memineris, pulsus a tempore ad tempus auctam fortitudinem pro singulis febris exacerbationibus magis praetereuntem, ceteraque ex turgore vitali, synaesthesi et motu profecta symptomata talia fuisse, qualia vires debilitatas significare solent. Hoc quoque meus amicus sibi opprobrio ducit, quod illud citius sanatum ulcus inveteratum non revocaverit. Quod saepius fiat, ut inveterata ulcera, et in graviditate, et post eam sine ullo detrimento celeriter abeant, hoc parum sibi veniae esse posse, quoniam in tam adversa puerperae aegritudine id quoque, quod minoris videatur esse mo-

menti, minime praetereundum esse. Quaeritur denique, num sanatio fieri potuisset morbo cognito. Exitus solitus mors est, atque in paucis prosperis casibus, ubi salus recuperata est, valde adhuc dubitandum esse profitetur Sieboldius, num putrescentia ipsa sanata sit. Defuncta si prius curanda medico tradita esset, praecavendum forte malum fuisset. Nobis tantummodo hae fuere indicationes: vis vitalis augendae atque adjuvandae, partium emortuarum emissionis, ne malum amplius procederet. —

LITTERATURA.

Boër. Abhandlungen u. Versuche geburtshülflichen Inhalts, zur Begründung einer naturgemäſsen Entbindungsmethode und Behandlung der Schwangern, Wöchnerinnen und neugeborner Kinder, nach Erfahrungen und Beobachtungen im Wiener allgem. Gebärhause. Wien 1791 — 1807. Th. III. S. 73.

Hesse J. G. Ueber die Erweichung der Gewebe und Organe des menschlichen Organismus. Leipz. 1827.

Horn. J. Ph. Archiv für die mediz. Erfahrung. Berlin 1801 bis jetzt p. 6.

Hufeland. C. W. Journal der praktischen Heilkunde, etc. Berlin 1795 bis jetzt 1821. Octbr. —

Joerg. J. C. G. Schriften zur Beförderung der Kenntniſs des Weibes und Kindes im Allgemeinen und zur Bereicherung der Geburtshülfe insbesondere. 2r. Thl. Leipz. 1816. S. 1.

Locher. Diss. de putrescentia uteri. Berolini 1819.

Meissner. Forschungen des 19. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig 1826. 2r. Thl. S. 218.

Rust. J. N. Magazin für die gesammte Heilkunde. Berlin 1816. etc. Bd. 18. Hft. 2. S. 340.

Schmidt. G. J. Diss. de putrescentia uteri. Goetting. 1825.

Siebold. A. E. v., Journal für die Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinder-Krankheiten. Frankf. 1813. bis jetzt Bd. III. St. 3. S. 381.

— Handbuch zur Erkenntnifs u. Heilung der Krankheiten der Wöchnerinnen. Frankf. 1826. 2. Bd. 3. Abschn. S. 239.

Temler. Diss. de putrescentia uteri. Dorp. 1828.

Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde, herausgegeben von D. W. H. Busch, L. Mende und Ritgen. Weimar. 1826. Bd. II. St. 1. S. 77.

Wenzel. C. Ueber die Krankheiten des Uterus. Mit 12 Kupfern und ebensoviel Linearzeichnungen. Mainz 1816. gr. Fol. S. 44. No. VIII.

Zimmermann. Diss. de putresc. uteri adjecta morbi historia. Leipzig 1815.

VITA.

Godofredus Ruegenberg natus sum Olpenae, oppido Guestphaliae, mensis Martii die undecimo anni MDCCCVIII parentibus dilectissimis, patre Petro Josepho, matre Gertruda, e gente Harnischmacher, quos Dei gratia adhuc vivos maxima pietate veneror. Fidei catholicae addictus sum. In primis litterarum elementis eruditus, anno aetatis decimo quarto gymnasium Coloniense, olim Jesuitarum adii, ubi per annos sex et dimidium litteris humanioribus operam navavi. Anni MDCCCXXIX mense Novembri in alma Friderica-Guilelma-Rhenana, Rectore magnifico a Droste-Huelshoff civium academicorum numero adscriptus, apud Decanum spect. Mayer ordini medicorum nomen dedi.

Per tres annos et dimidium illustriss. virorum, ordinis medicorum et philosophorum interfui scholis infra nominandis. — Audivi autem de logice et psychologia Ill. van Calker, de anthropologia Ill. Nasse, de botanice generali Ill. Treviranum, de plantis officinalibus Ill. Nees ab Esenbeck jun., de chemia experimentali Ill. Gust. Bischoff, de zoologia Ill. Goldfufs, de physice Ill. a Muenchow, de mineralogia Ill. Noeggerath, de osteologia et syndesmologia Ill. Weber, de anatomia generali et speciali Ill. Meyer, qui quoque una cum Ill. Weber mihi dux fuit in cadaveribus dissecandis; de encyclopaedia et methodologia medicinae, de physiologia, pathologia generali, anatomia comparata et pathologica atque de entozoologia Ill. Mueller; de pharmacologia generali et speciali, de praeceptis formulas medicas rite scribendi Ill. Ern. Bischoff; de therapia generali

et speciali, de scientia morborum psychicorum Ill. Nasse, de semiotice Ill. Albers; de chirurgia, de arte obstetricia atque instrumentis obstetriciis, de morbis gravidarum et puerperarum Ill. Kilian, qui etiam in exercitationibus in phantomate instituendis moderator mihi exstitit. Doctrinam de operationibus chirurgicis, de oculorum morbis ac de fasciis applicandis mihi tradidit Ill. Wutzer; in operationibus, in oculis instituendis Ill. Nasse jun. mihi dux fuit. In practicis exercitationibus interfui clinico tam propaedeutico quam therapeutico et policlinico Ill. Nasse; clinico obstetricio Ill. Kilian, clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer.

Mense Majo anni MDCCCXXXIII in academiam illustrissimam Berolinensem me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Weifs in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Osann, gratiosi ordinis medicorum h. a. Decano spectatiss. Albo inscriptus sum. Ex quo tempore semestre exercitationibus clinicis in nosocomio Caritatis, clinico medico Cel. Wolf, chirurgico Ill. Rust, ophthalmiatrico Cel. Juengken, obstetricio Ill. Busch interfui.

Quibus omnibus viris, de me eximie meritis gratias, quas possum maximas habeo, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, philosophico et medico, atque examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Putrescentia uteri non ex inflammatione.
2. Respiratio unus, non unicus caloris animalis fons.
3. Respiratio imminuta non causa, sed effectus asphyxiae nonnullorum animalium est.
4. Maxima medicorum aberratio homoeopathia.
